



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Missæ Audito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

periculum, cui se exposuerunt illam perdendi; ipsos excitet ad eliciendos actus fidei divinæ, &c. & tunc, si habeat facultatem, absolvat.

402. Quæritur. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum legente, vel retinente libros in iudice prohibitos continentes res lascivas, superstitiones &c.

Resp. Debet interrogare, an tales libri fuerint auctoris heretici heresim continentes, vel de Religione tractantes; vel an quando legerit, habuerit errorem in intellectu, credendo non esse in Ecclesia auctoritatem prohibendi, & damnandi libros, nec posse eos damnare, nam tunc erit formaliter hæreticus, & innodatus excommunicatione in Bulla Cœnæ; si sine errore legerit, interroget ut supra, an scilicet sciat aliquos legere, retinere &c. & an occasione eorum carnaliter peccaverit, quoties, quomodo, & cum quibus &c. postea injungat, ut libros, Inquisitoribus, vel locorum ordinariis deferat, antequam absolvatur, si fieri possit.

MISSÆ AUDITIO.

403. **Q**uæritur. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, qui duas ejus partes, immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit?

Resp. Negative, ratio est, quia Ecclesia obligat ad audiendam Missam, quæ sit unum, & integrum sacrificium, non censetur autem unum sacrificium, simul una medietas audietur ab uno, altera ab altero Sacerdote, & quamvis transmittatur, quod præcepto satisfiat, si successivè a diversis Cele-

Celebrantibus audiantur duæ medietates Missæ, eo quod illa successiva auditio, licet non terminaretur ad unam Missam integram physicè terminaretur tamen ad unam integram moraliter, at non potest dici, quod una Missa mortaliter integra audiatur, si simul audiantur duæ Missæ partes, quia Missa est de natura sua conflata ex partibus successivis, ergo si simul audiantur plures Missæ, non auditur una Missa integra, ne moraliter quidem; præterea Ecclesia præcipit auditionem Missæ in qua possit audiens singulis partibus Missæ attendere, & devotionem consonam ex iis percipere, at qui si simul plures Missæ partes audirentur: non posset homo ad singulas attendere, & suam devotionem inde percipere, ergo nulla simultanea partium Missæ auditio sufficiens est ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, sive fiat audiendo simul duas Missæ partes, sive quatuor, aut plures, ut manifestè patet ex propof. 53. inter damnatas ab Innoc. XI.

404. Ex dictis sequitur, non damnari sententiam asserentem, quod præcepto audiendi Missam satisfaciatur, qui duas Missæ medietates audit ordine suo à diversis celebrantibus successivè, verbi gratia, usque ad consecrationem ab uno, & à consecratione usque ad finem ab altero; neque damnationi subiacere opinionem non damnantem peccati mortalis, qui inverso ordine prius audiret posteriorem Missæ medietatem, deinde priorem, sicut sine mortali potest quis prius recitare vespèras deinde Matutinum, eo quod ista ordinis inversio non videatur magna deformitas, & ratio videtur esse, quia obligat solùm Ecclesia ad

integram Missam audiendam, atque ad eam ad audiendas singulas Missæ partes, non verò ad audiendas illas continuatè ab eodem Sacerdote; neque damnari opinionem doctentem, quòd possit aliquis simul audire Missam præceptam, & recitare horas Canonicas, Rosarium &c.

MISSÆ STIPENDIUM.

405. **Q**Uæritur. An possit Sacerdos pro eadem Missa duplicatum stipendium licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque possit decretum Urbani VIII.?

Resp. Non potest Sacerdos pro eadem Missa duplex stipendium licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus personalis, scilicet qui cedit in bonum ipsius celebrantis, ratio est, quia decreto Urbani VIII. prohibentis stipendiorum pluralitatem pro una eademque Missa, accessit decretum Alexandri VII. expressè damnantis propof. 8. utpotè repugnantem virtutibus Religionis, & iustitiæ, cum accipere alterum stipendium pro fructu speciali, alterum pro specialissimo, iniustitiam, & simoniam sapiat, nam fraudatur conferenti stipendium, & accipitur pretium pro re spirituali.

406. Quæritur. An possit Sacerdos accipere pro eadem Missa duplex stipendium, alterum pro præsentia, seu officiatura, alterum pro applicatione sacrificii, ut ante decreta prædicta nonnulli docuerunt?

Resp. Negativè, nisi in casu, quo offerens stipendium pro officiatura exprimat,
ant.